

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

### **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas num. XLI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1753**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241482](#)

tab. XVI. subtus quam ante vestibulum cavernæ monstrum cubat alatum, caudaque serpentina horridum. Additur suetum hemistichium: AMAT VICTORIA CVRAN.

Orcum hic atque paradisum, id est, pœnas & gaudia æterna, ante oculos poni, intuentibus patet. Quanta cura atque sollicitudine opus sit, ut alterum obtineatur, evitetur alterum, hocce emblemate non tam aliis quam sibi ipsi ad mentem revocare voluisse videtur Imperator; qui insuper ætatis iam valde deficientis repræsentatur: cum eiusmodi meditationes omni quidem ætati convenient; sed in extrema præfertim vel maxime serias atque continuas esse oporteat. Pulchre autem MATTHIAS apophthegma, in iuventute assumptum, huc quoque applicavit, secundum illud: VINCENTI dabo edere de ligno vita, quod est in PARADISO Dei mei (a).

Quod se Imperatorem Eleætum scribat, ex dictis ad FERDINANDUM I. intelligitur. M. Imp. pl. constat ex 2. laminis.

## NUMMI ICONICI.

### XXXVII.

tab. XVII. MATTHIAS. II. D: ei G: ratia REX: HVN. garie Protome Regis inoperto capite, accisis capillis, sed promissa mystace, pectore tenus, cum torque aurei velleris, ad sinistram versa.

Nummulus hic ad annum 1608. referri potuisset; qui solum Regis Hungariae titulum, quo MATTHIAS mactatur, præfert; sed quoniam id singulare

(a) Apocal. II. 7.

habet, quod in utraque parte, MATHIANTICA nempe & postica, idem typus signatus fit, cundem merito inter Iconicos primo loco reponimus. M. Imp. ar.

AS ROM IMP.

### XXXVIII.

MAXI. milianus I. CARO. lus v.  
ET. FERD. inandus D. ei G. ratia  
ROM. anorum CÆS. ares REG. es  
HISP. aniarum. Effigies trium horumce Cæsarum, qui corona Imperiali conspicui, cataphracti, & tessera aurei velleris insigniti, pectore tenus fistuntur, ad sinistram respicientes.

MATTHIAS D. ei G. ratia  
ROM. anorum IMP. erator s. emper  
A. ugustus. G. ermaniae H. ungarie  
BO. hemiae REX. Protome MATTHIAE ut num. xxv. inoperto tamen capite. In imo leo conspicitur, nec non luna bicornis cum stella, de quibus supra dictum fuit (b).

b

Laudatus autem ibidem Dominus a ROSENTHAL me interea de iisdem signis ampliora per litteras edocuit, ex quibus id unum hoc loco delibandum: Dotissimum Virum examinatis & ponderatis momentis, quæ copiose iuxta ac erudite in medium ad fert, omnibus, adhuc in dubio hærere, utrum eiusmodi signa, ut sunt stella cum luna falcata, manus clausa, astrum efferens, ala, lilyum & corona, ad urbes monetarias, quarum olim in Bohemia quatuor erant, an vero ad ipsos monetarios pertineant? cui ultimo tamen magis accedere videtur. Quare & nos eiusmodi signa deinceps solis monetariis adscribemus: dum inter-

(b) Pag. 97. num. xxi.

MATHI- interim eruditum opus , quod  
AS ROM. Suavissimus Amicus de nummis  
IMP.

Bohemis molitur , avide ex-  
spectamus ; non dubii , quin  
hæc singula cum ceteris bonæ  
frugis , largiori manu affusurus sit.

Hunc nummum , in FER-  
a DINANDO I. iam laudatum (a),  
in museo *Buoliano* extare di-  
ximus. Sed & is ipse , qui

ibidem productus est , non ex  
MELLENIO , ut utrumque con-  
tendere volenti patebit , sed ex  
museo nostro desumptus fuit :  
ubi non ita pridem in auro re-  
periebatur. Denique ibidem  
citatur numerus XXXIX. cum  
XXXVIII. sit : quæ singula hoc  
loco animadvertere oportebat.

Quod ad nummum ipsum  
pertinet , illum cum laudato  
MELLENIO inter *restitutos* adnu-  
meramus : quanquam vocabu-  
lum isthoc alio nonnihil sensu  
acciendum fit , ac de nummis  
*restitutis* veterum accipi solet , ut  
harum rerum peritis notum est.

Adversæ porro huic aliæ a-  
versæ iunctæ fuerunt , quas lau-  
datus auctor (b) adducit : nos  
vero de illis egimus in nummis  
FERDINANDI I. num. XL. & XLI.  
huncque , de quo nunc agimus ,  
nummum , qui in auro æque ac  
in argento reperitur , non *Uncialibus*  
sed classi generaliori *Iconicorum* accensemus M. Imp.  
ar. M. BUOL. au. IO. duc.

### UNCIALES ET MONETÆ. XXXIX.

MATTHIAS II. D: ei G: ratia REX  
HVN. gariae ZC. (et cetera)

(a) Tab. IV. num. XII.

DESIG. *natus* IN. REGEM. BO. he. Tab. XVII.

*mie.* Protome Regis ut num.  
xxv. sed hic corona Hungarica  
obtectus est , demissis circum  
occiput catenis aureis , ceu lem-  
niscis eiusdem. Vertici coro-  
næ imminet imago Beatissimæ  
MARIE Virginis , lunæ bicorni  
imposita , regni Hungariæ Tute-  
laris.

In epigraphe aversæ conti-  
nuatur titulus in hunc modum :  
ARCHID. ux AVS. triæ DVX. BVR.  
gundia MAR. chio MO. raviæ co-  
mes TYR. olis 1609. Scutum  
quadripartitum , corona Hungarica  
opertum , & torque au-  
rei velleris cinctum. Prior qua-  
drans ex fasciis *Hungaricis* , &  
cruce Patriarchali , quæ sunt re-  
gni insignia , bipartitus est. Se-  
cundus refert leonem *Bohemi-  
cum* coronatum. Tertius tria  
capita pardalina *Dalmatiae*. Quar-  
tus aquilam tessellatam continet ,  
*Moraviae* tesseram. Toti incum-  
bit parmula *Burgundo-Austria-  
ca*. Adduntur in area hinc inde  
siglae K. B. officinæ Hungaricæ  
signa , de quibus alibi.

De titulo *Designati Bohemiae  
Regis* dictum est hic supra ad  
num. XVIII. MELL. p. 97.

Alius eodem anno prodiit ,  
qui modo in museo nostro ex-  
ære asservatur , atque in supple-  
menta num. XVI. relatus est.  
Adversæ effigiem Cæsaris , ut in  
præsenti nummo exhibet : tituli  
tamen hunc in modum scripti :  
MATTHIAS II. D: ei G: ratia REX  
HVN. gariae ZC. Omittitur quo-  
que imago Deiparae Virg. In  
aversa autem : ARCHID. ux AVS:  
tria

(b) Syll. numm. uncial. p. 73.

Tab. XVII. triæ DVX BVrgundia MAR: chio  
mo:raviae co:mes TYR. olis 1609.  
Scutum coronatum quadripartitum ut infra num. XLVI. quod  
ibidem describemus.

## XL.

Exiguum est inter hunc & præcedentem nummum discri-  
men. Ex alio tamen typo num-  
mario efformatus, ac priori re-  
centior, anno nimurum 1610.  
prodiit. Illum primus edidit,  
& erudito commentario illu-  
stravit Cl. KOEHLERUS (a),  
ubi tamen, quod Beatissimæ  
Virginis imagunculam, signum  
cælatoris aut monetarii esse pu-  
tavit, deceptus est; ut ex aliis  
nummis, in Hungaria cufis,  
abunde patet.

## XLI.

MATTHIAS II. D. ei gratia  
HVNG. aria ET BOHE. mie REX.  
Protome Regis armata cum pa-  
ludamento & aurei velleris tæ-  
nia, nec non collari, præter  
morem, plano. In capite co-  
ronam Bohemicam gestat: quem-  
admodum & leo, infra apposi-  
tus, unciam hunc in Bohemia  
signatum fuisse ostendit.

Postica continuat titulos fere  
ut num. XXXIX. & in fine si-  
gnum monetarii adiicitur, ut  
num. XXXVIII. in area vero hinc  
& inde numerus anni 1611.  
Scutum quadripartitum est, co-  
rona Bohemica tectum. Pri-  
mus quadrans continet superiori  
parte insignia Hungariae, in in-  
feriori tesseras Castilia & Legio-  
nis. Secundus quadrans parte  
superiori refert symbolum Bo-

TOM. II. P. II.

(a) M.B.L. P. VIII. p. 409.

hemie, parte inferiori exhiben-  
tur tesseræ Arragoniae & Neapo-  
leos; his duobus quadrantibus  
imposita est parvula, a summo  
bipartita, ex Austria & Bur-  
gundia signis constans. Tertius  
quadrans triquetrus est: prima  
areola scutum Styriae, secunda  
Carinthiae habet: in tertia areola  
spectantur scuta Tyrolis & Du-  
catus trans Anasum. Quartus  
quadrans similiter triquetrus est:  
area prior clypeum Carniolæ,  
altera Virtembergie, tertia Sile-  
sie complectitur. In angulo de-  
nique inferiori aquila Moraviae  
cernitur.

MATHI-  
AS ROM  
IMP.

Primum hunc esse unciam, sub MATTHIA in Bohemia re-  
gnante cufum, recte docet Cl.  
KOEHLERUS loco mox citando.  
M. D. a ROSENTHAL, ♂  
KOEHL. P. XVII. p. 257.

## XLII.

Idem adversæ typus, nisi  
quod MATTHIAS hoc loco cum  
crispo collari compareat, & au-  
reum vellus non a tænia, sed  
torque dependeat.

Epigraphe averſæ pariter con-  
venit cum proxime antecedenti,  
omisso monetarii signo. At in  
umbone scutum quadripartitum,  
corona Bohemica tectum, &  
torque aurei velleris cinctum:  
notata in umbone hinc inde æra  
Christiana 1612. Primus &  
quartus quadrans repetita Hun-  
gariae insignia continet: secundus  
& tertius Bohemie tesseram, pa-  
riter repetitam. In medio in-  
cubit parvula, a summo per  
medium secta, Austria ac Bur-  
gundia insignia referens.

R

Dif.

MATHIAS  
AS ROM.  
IMP.

Differt itaque hic nummus a priori; quod uno anno recentior sit, atque pauciora insignia referat; quanquam merito dubitari possit, an non sub finem anni 1611. percussus fuerit? cum eo tempore æra in nummis præverti consueverit, ut iam alibi notatum. Probat id etiam uncialis alias, in museo nostro asservatus, cuius utraque pars hæc est: MATTHIAS. II. D. ei G. ratia HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ REX. Protome Regis ut num. XXXIX. omissis coronæ lemniscis: at imaguncula Beatissimæ Virginis & hic quoque appetet.

Aversa titulos sic prosequitur: ARCHID. ux AVS. triæ DVX BVR gundia MAR. chio MORAVIA co. mes TYR. olis 1613. Scutum quadripartitum, ut dicto num. XXXIX.

Manifestum est, hunc nummum anno 1612. & quidem ante electionem MATHIAE in Regem Romanorum percussum; utpote cum alioquin *Imperatorius* titulus haudquaquam omissus fuisset. Hinc etiam discimus, quanto temporis spatio nummorum usualium epochas non unquam anteverti contigerit; tantum ut diu *novi* viderentur. Eius delineationem habes in supplementis nostris num. XVII.

Ceterum licet uncialis tam num. præcedenti, quam etiam hic loci depictus, haud dubie in *Bohemia* signatus fit (quippe de quo leonis imaguncula illa, utrinque in margine inferiori incisa, nec non corona *Bohemica* dubitate non sinunt) tessera tamen *Hun.*

(a) Tab. IV. num. XLV - L. & tab. XIV. num.

garica ubique priorem seu ho-<sup>Tab. XVII.</sup>  
noratiorem locum occupat, se-  
cūs ac in nummis uncialibus  
FERDINANDI I. & RUDOLPHI II.  
quod supra vidimus (a), ob-  
servare licet; quæ mutatio stu-  
dio, atque in Hungarorum gra-  
tiam potius, quam casu facta vi-  
detur; præsertim cum id ipsum  
in sequentibus quoque FERDI-  
NANDI II. & FERDINANDI III.  
id genus nummis, ut postea vi-  
debimus, constanter conserva-  
tum fuerit. MELL. p. 100.

### XLIII.

MATTHIAS. D: ei G: ratia  
R: omanorum i: mperator s: emper  
AVG: uſtus G: ermaniae HVN: garia  
BO: hemiae REX. Protome MA-  
THIAE armata ac torque aurei  
velleris conspicua: capite lau-  
reato, ad lœvam converso. In-  
fra in margine cantherius orbi  
inclusus, signum, ut videtur,  
monetarii.

Aversa titulos sic continuat:  
ARCHID: ux AVS: triæ DVX: BVR:  
gundia co: mes TIR: olis zc. (et  
cetera) 1616. Aquila Imperia-  
lis biceps & expansa, inter bi-  
na capita sua, quibus corona  
clausa imminet, globum conti-  
nens. Eadem dextro ungue  
gladium, sinistro vero sceptrum  
tenet, scutumque pectore gerit,  
torque aurei velleris marginatum:  
impressis tessellis, quas  
num. XLI. vidimus: excepto,  
quod parvula, *Austria* & *Burgundia* insignia referens, reliquis  
ibidem superimposita, hoc loco  
pileo Archiducali tecta, in mar-  
gine inferiori compareat; id  
quod signum est, unciale  
hunc

XXXI. nec non Suppl. num. V. & VI.

Tab. XVII. hunc in Austria fabrefactum fuisse.

- a Notathic MELLENIUS (a), titulum *semper Augustus* hoc loco prima sibi vice occurrere, cum tamen in pluribus præcedentibus eius nummis, ut de nostris nihil dicamus, legere sit. Eundem ab imperatoribus Orientis, aliorum opinionem secutus, arcessit. Sed longe antiquiorem ostendit Celeberrimus
- b STRUVIUS (b), atque a SEPTIMO SEVERO iam adhibitum, inter cetera advertit.

Idem MELLENIUS avem, cuspidi in areola triquetra inseratam, pro una ex quinque alaudis habet, quæ sit ex insignibus *veteris Austriae* deprompta. Verum cum nullibi haec tenus unam tantum ex dictis quinque alaudis, in scutum *Austriacum* assumptam fuisse viderim: eam potius, ceteris quippe ibidem depictis *aquilis* magnitudine parrem, cum Cl. KOEHLERO supra ad num. XLII. pro tessera *Moraviae* habendam, teneo. *Id ibid. pag. 103.*

## XLIV.

Adversa fere ut num. præcedenti: nisi quod in medio perigraphes hinc interposita sit imaguncula B. MARIAE Virginis, illinc parvula coronata, insignibus *Hungariae* conspicua; unde colligere est, eum in *Hungaria* signatum fuisse: quod ipsum ex siglis in aversa parte magis firmatur.

Postica assimilatur num. XLII. sed cum ille cusus sit MATHIA necdum Imperatore: discrimin intercedit; quod hic in

TOM. II. P. II.

(a) Syll. numm. p. 104.

(b) Corp. Iuris Publ. cap. VIII. §. XVI. p.

antica cum laurea, & in aver- MATHI-  
fa cum bicipiti aquila *Imperii* AS ROM.  
coronata comparet. IMP.

Æra Christi 1617. post ti-  
tulos in peripheria: & in um-  
bone pone sceptrum & gladium  
additæ sunt notæ illæ litteræ  
K. B. Hungaricam officinam ad-  
significantes, *Id. p. 107.*

## XLV.

Antica duobus nummis præcedentibus assimilatur, omissa corona laurea. In imo peri-  
pheriae figura leonis, regni Bo-  
hemie symbolum, indicat, num-  
num hunc unciale in *Bohemia*  
cusum fuisse.

ARCHID. ux AVSTRI. & DVX  
BVR. undie MAR. chio MOR. avia  
1619. Continuatio hæc est ti-  
tulorum, in peripheria aversæ  
legendorum, in cuius imo, parte  
media, conspicienda recurrent si-  
gna officinæ monetariæ: lunula  
nempe cum imminentे stella,  
de quibus supra meminimus.  
Umbonem aquila biceps *Impe-  
rialis* coronata implet, pectore  
gerens parvulam, a summo bi-  
partitam, coronatam & torque  
aurei velleris cinetam, *Austria*  
& *Burgundia* tesseras referentem.  
*Id pag. 109.*

Eodem anno, qui Impera-  
tori emortualis fuit, alias pro-  
diit, nunc in nummotheca nostra  
servatus, num. XLIII. per omnia  
similis: exceptis nonnullis litteris  
epigraphes. Scribitur enim in ad-  
versa GER. HVNG. BOHE. contra-  
Etis hisce ultimis duabus litteris,  
& in aversa TYR. Reliqua ex af-  
se respondent. Insignia tamen

R 2

con-

273. seqq.

MATHIAS ROME IMP. contractiori scuto concluduntur. Discrimen itaque tanti non est, ut eum designari faciamus.

## XLVI.

Adversa cum num. XXXIX. fere respondet.

Aversa similiter convenit. Scutum tamen quadripartitum: primo quadrante ténias Hungaricas, secundo leonem Bohemicum præfert. Tertius triquetrus: prima areola Castelle, secunda Legionis, tertia Granatae tesseras exhibit. Quartus itidem triquetrus: primo loco pantheram Styrie, secundo symbolum Carinthia, tertio aquilam Tyrolis, ac in angulo denique inferiori aquilam Moraviae repræsentat. His omnibus superimponitur parvula minor, Austria & Burgundia tesserae exarata.

De Designati Regis Bohemiae titulo ad dictum num. XXXIX. actum est. M. S. B. aur. 7. ducat.

## XLVII.

Anterior pars fere ut num. XLIII. In imo tamen parvula, palmam arborem referens, signum aut monetarii aut officinæ videtur.

Posterior pars omnino respondet dicto num. XLIII. excepta nota chronologica, quæ annum 1618. omisso tamen priori numero unitatis, indicat. Ib. au. ♂ M. D. de FRANCE. 4. duc.

## XLVIII.

MATTHIAS. II. D. ei G. ratia HVN. gariae ET BO. hemiae REX. Integra Regis figura, cataphra-

(a) Suppl. II. p. 686.

cta, dextra sceptrum, sinistra globum, cruce instructum, tenens: capite coronato, finistrorum verso, adposita hinc & inde æra Christi 1611.

s. *ancetus* WENCESLAVS PAT. ronus BOHEM. i.e. Integer pariter corporis habitus, in pedes erectus & cataphractus, cum pallio: dextra hastam vexilli, cui aquila simplex impressa est, tenens: sinistram ad scutum applicat, in qua aquilæ figura recurrit, capite obverso & pileo Ducali tecto.

Antiquissima est S. WENCESLAI in nummis Bohemorum image. Eam enim ipse eius frater & intersector BOLESLAUS I. circa annum 940. signari fecit, ut ex recens Grossorum Scriniis discimus (a). a

Moneta hæc est aurea, in Silesia percussa. DEWERDECK. pag. 112. tab. I. num. 14. in au. I. duc.

## XLIX.

MATT. bias D. ei gratia Romanorum imperator semper Augustus Germaniae HVN. gariae BO. hemiae REX. Cæsar integra corporis specie in pedes erectus, cataphractus, paludatus, cum crispo collari, dextra sceptrum, sinistra globum, cruce instructum tenens, capite obverso coronato. Ad latera in umbo ne hinc atque illinc sigla officinæ monetariæ in Hungaria n. agi Bania.

In aversa continuatur titulus in hunc modum: AR. chidux AV. striae DV. x BVRGUNDIA. MARCIO MORAVIA COMES TY. rolis

*Tab. XVII. rolis 1618. Icon B. MARIE Virginis, Hungariæ Patronæ, cum scuto, a summo bipartito, tæniis & cruce Patriarchali conspicuo. M. Imp. au. semi-duc.*

In recens apertis *Grossorum Scriniis* tres adhuc minoris ponderis monetæ adducuntur. Prior caput Imperatoris laureatum, ad pectus cum lorica & crispo collari repræsentat, adiecto in imo signo monetarii, quod præcedenti num. XLII. convenit. Aversa aquilam *Imperiale* bicorpitem, imminentे eidem corona Cæsarea, exhibit: in cuius pectore parmula cum *Austriae* & *Burgundie* tesseris, & in imo nota valoris 3. Epigraphe utriusque partis, præmissa crucicula, hæc est: MATTHIAS D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX. & in aversa ARCHI. AVS. D. BV. CO. TYR. 1617. (a). Eius designatio videnda in supplem. num. XVIII.

Alii duo ad Hungaricos spestant, quos Cl. D SCHWANDNERO repetendos relinquimus. Ceteras quoque monetas ex argento in regnis Hungariæ & Bohemiæ ceras, hic non prosequimur.

## NUMMI AD HISTORIAM MATHIAE FACIENTES.

### L.

Antica imaginem Servatoris, stola induiti, obversa fronte & inoperto capite exhibit: dextra, in benedicentis modum

(a) Locul. II. tab. III. n. 24.

elata, fin. globum, cruce in-MATHI-  
structum, tenentis. Additur <sup>AS ROM</sup> IMP.  
epigraphe: AB HOC SOLO SEM-  
PITERNA SALVS.

Aversam inscripto novem linearum implet, occasionem nummi satis exponens: TEM-  
PLVM. SALVATORIS G. *ratia* D. *ei*  
ET CÆSARIS RVDOLPHI II. SVB  
BOHE. *miae* REGE MATTHIA II  
FUNDARVNT GERMANI EVVAN-  
GELICI PRAGÆ IN VRBE VETE-  
RI DIE CAROLI A. nno s. *alutis*  
H. umane 1611.

De hac templi exstructione  
vide plura apud KHEVENHILLE-  
RUM ad hunc annum col. 363.  
*M. Imp. e.*

### LI.

Adversa tres figuræ mulie-  
bres exhibit, quarum duea  
tunicatæ & laureatæ, altera  
gladium, lauri ramum altera  
continet: tertia, eaque media,  
armata & galeata, dextra ha-  
stæ ferratae innititur, sinistra ex-  
tenta. In area a sinistris alvea-  
re, basi impositum.

Hæ figuræ ex inventoris,  
qui haud alias a cælatore videtur,  
mente, simulacra sunt *Iustitiae*,  
*Sapientie*, & *Concordiae*; in mar-  
gine enim adscribitur epigraphe:  
IVSTITIA. SOPHIA. ET CONCOR-  
DIA VINCVL REGNI. & infe-  
rius: CVM PRIVI legio chriſtia-  
nus M. abler.

Postica septem Electorum  
insignia exhibit, quorum singu-  
la nomina in interiori margi-  
ne, singulis tribus litteris ini-  
tialibus adscribuntur, excepto  
Electoris *Bohemici*, cuius insig-  
ne medium locum occupat, re-  
liquis in orbem circum collo-

R 3

catis.

MATHIÆ catis. In duplice margine ex-  
AS ROM. teriori hæc epigraphe legitur :  
IMP.  
MEM. orie REV. erendissimorum  
ET SERENISS. imorum s. acri R. o-  
mani I. mperii VII - VIRVM ELE-  
CT. orum NVREMBERGÆ FELIC. i-  
ter CONGRESSORVM A.º MDCXI.  
M. ense IIX-BRI (Octobri).

Hic nummus æque ad RUDOLPHUM II. ac MATHIAM per-  
tinet, aut certe ad utrumque.  
In eo enim, de quo is memorat,  
conventu, non solum de Repu-  
blica, a RUDOLPHO negligentius  
administrata, meliori ratione con-  
stituenda : de indicendis pro elec-  
tione Romanorum Regis in  
annum secuturum comitiis, aliis-  
que non nullis ad res RUDOL-  
PHI pertinentibus: sed & caussa  
MATHIAM inter atque RUDOL-  
PHUM serio acta fuit : qua oc-  
casione Melchior KLOESELius,  
Episcopus Wiennensis, ac MA-  
THIÆ legatus, Principis sui a-  
gendi rationem, atque adeo ut-  
riusque regni invasionem, sum-  
ma eloquendi vi defendisse,  
atque præteriorum actorum ne-  
cessitatem ostendisse fertur (a).

Ceterum idem nummus iam  
extra dubium ponit, reliquos  
sibi similes, de quibus supe-  
rius actum est (b), occasione  
eiusmodi conventuum & comi-  
tiorum produisse.

## LII.

D. omino MATTHIÆ. RO: ma-  
norum IMP. eratori ET. ANNÆ  
CONIVG: ibus AVGVS tissimis. Ef-  
figies Cæsarum & Imperatricis iu-  
gatae & coronatae, pectori te-  
nus cum crissipis collaribus.

NORIBERGA OVANS FELICEM  
GRATVLATVR INGRESSVM. Tria

scuta

(a) KHEVENHILLER, ad h. a. col. 380. seq.

scuta urbis Norimbergenfis ne-  
xa: adposita infra æra Christi.  
1612.

Nummus hic aureus MA-  
THIÆ Cæsari, eiusque coniu-  
gi ANNÆ Francofurto a coro-  
natione reducibus, & Norim-  
bergam solemini pompa ingre-  
dientibus oblatus fuit. Cele-  
britatem huius ingressus car-  
mine quodam descripsit Ioan.  
LASCARINUS, quod unacum  
nummo typis denuo publicavit  
Cl. KOEHLERUS P. V. p. 50.  
*Florenus aur.*

## LIII.

Anterior pars aquilam bicipi-  
tem coronatam exhibit, cuius  
pectori scutum impressum bipar-  
titum, *Burgundia* primum, deinde *Austria* tesseris exaratum : er-  
rore videlicet ; cum altera in alte-  
rius locum substituenda fuisset.  
Additur hinc nota chronologica  
1613. Aquilam circumdant sex  
orbes, qui totidem Imperato-  
res, ex Augustissima Gente Hab-  
sburgica assumptos, ostendunt,  
fere ut supra tab. XIII. num.  
XXVIII. nisi quod in praesentia  
MAXIMILIANUS I. in hanc anteri-  
orem partem retractus fuerit.

In posteriori sequuntur reli-  
quorum Cæsarum, ex eadem  
Aug. Domo electorum, imagines,  
quorum ultimus MATHIAS, cu-  
ius symbolum : AMAT VICTORIA  
CVRAM in octogono coronato,  
in media areae collocato, inscri-  
ptum. Epigraphe utriusque par-  
tis coniuncta, eadem fere est,  
quæ in citato nummo, atque  
sic habet : ROM anorum IMP. era-  
tores EX SERENISS: ima AVSTRIA-

æA

(b) Pag. 99. num. xxv. seq.

Tab.XVII. CA DOMO IN INVICTISS: *imi* (se-  
quitur aversa) R<sup>e</sup>gis MATTHIÆ.  
EIVSDEM QVE. DOMVS HONOREM  
NORIB. ergæ F. ecit c. hristianus  
M. ahler c. um PRIV. ilegio CÆS.  
areo.

Cum anno 1613. comitia  
*Ratisbone* celebraret MATHIAS:  
videtur hic illi nummus eadem  
occasione oblatus, quemadmo-  
dum cum laudato *Rudolphino*  
factum fuisse, allegato loco ani-  
madvertisimus. *M. Imp. ar. &  
S. B. ar. fus.*

## LIV.

MATTHIAS ROM: *anorum*  
IMP: erator. Aquila biceps Im-  
perialis coronata, clypeum pe-  
ctore gerens fere ut num. XLV.  
parmula Austriaca toti superim-  
posita.

In postica clypeus a summo  
bipartitus, leonem *Bohemicum*  
& aquilam *Silesiacam* repræsen-  
tat. Adiicitur in peripheria in-  
scriptio Germanica, occasionem  
nummi explicans, quæ latine  
sic sonat: *Premium solemnis ia-  
culationis Leoberge habite die 23.  
Augusti 1615. DEWERDECK.tab.  
31. n. 11. p. 641.*

## MONITUM.

MAXIMILIANUS II. novem  
omnino filiorum & sex filiarum  
pater erat: ex illis tres, ex his  
totidem in tenera ætate obierunt.  
Quinque filiorum, patri supersti-  
tum, nummos iam recensuimus;  
egimus quippe singillatim de  
RUDOLPHI II. Imp. nummis,  
quibus addidimus nonnullos ER-  
NESTI, fratris eiusdem, typos:

data quoque opera MATTHIÆ MATHI-  
nummos exposuimus, hisce AS ROM.  
WENCESLAI fratris iconicum  
nummum in MAXIMILIANO III.  
primo loco adiiciemus: AL-  
BERTI pariter nummos expen-  
dimus parte I. huius operis in  
PHILIPPO II. Hispaniarum Re-  
ge, cuius filiam ISABELLAM CLA-  
RAM EUGENIAM uxorem du-  
xerat; reliquum itaque est, ut  
& MAXIMILIANI III. sed in nu-  
mero fratum, ordine quarti,  
numismata & nummos un-  
ciales in medium proferamus.  
Quod antequam aggrediamur,  
de tribus eiusdem sororibus,  
Augusto parenti pariter super-  
stibus, paucis dicendum erit.

ANNA, filiarum MAXIMI-  
ANI II. Cæsaris natu maior,  
PHILIPPO II. Regi Hispaniarum  
in matrimonium data, num-  
mos habet in PHILIPPO marito  
suo, Parte I. iam expositos.

Altera ELISABETHA lucem  
adspexit die 5. Junii 1554.  
CAROLO IX. Regi Gallæ eloca-  
ta, mortuo marito Vindobo-  
nam se recepit, ibique collegium  
Sacrarum Virginum ad Divam  
CLARAM instituit, & anno 1592.  
pie in Domino obiit. Eius num-  
mum unicum in MAXIMILIANO  
II. mox sequenti, ultimo loco  
damus.

Tertia denique MARGARE-  
TA die 25. Ian. 1567. nata,  
terrena coelesti regno postponens,  
monasterium ingressa, beato fine  
quievit 1633. nullo quantum sci-  
mus, nummo, dum viveret, ho-  
norata. Ergo ad MAXIMILIA-  
NUM. III. pedem moveamus.

## MAXI.

MAXIMI-  
LIANUS  
III. AR-  
CHIDUX.

# MAXIMIL. III. ARCHID. SUPREMUS ORDINIS TEUTONICI MAGISTER.

BREVIARIUM VITÆ EX NUMMIS.

**M**AXIMILIANUS inter Archiduces hoc nomine III. <sup>Tab.XVIII</sup> MAXIMILIANI II. Imp. Aug. filius, Neapolii Austriae die XII. Octobris (5.) S. MAXIMILIANO sacra, anno 1558. natus, Pragæ in aula Cæsarea unacum fratre MATHIA educatus fuit. (1.)

Princeps erat egregiis virtutibus, fortuna non æque obsequente. Nam anno 1587. Rex Poloniæ electus, dum ius suum contra zemulum prosequi studet, pro corona captivitatem inventus. At post anni curriculum in libertatem vindicatus belli aleam fratris auspiciis in Pannonia contra Turcas maiori cum successu tentavit (6. 7.), animum ab his artibus haud alienum iam in iuventute non obscure ostendens (2. 3.).

Interea HENRICO de Babenhausen anno 1595. ad plures abeunte, Magister Ordinis Teutonici creatus, eam dignitatem nummis ad posterorum memoriam sedulo consecravit: *Magnus Prussiae Admirator* (8--11.) atque *Ordinis Teutonici per Germaniam Iamque Magister salutatus*. (13.)

Anno 1595. regimine Tyrolis atque provinciarum, in Rheni tractu sitarum (10-13.), cum suo, tum ceterorum Archiducum nomine suscepto, itinera terra marique in Hispaniam, mox anno 1603. Romam versus instituit (4.), ubique pro dignitate exceptus.

Secundum hæc reliquum vitæ quiete quidem, at non in otio transegit, atque in primis pro Domus suæ gloria sollicite laboravit, diemque Wiennæ Austriae 1618. die secundo Novembris obivit.

Eius nummi usuales, magna copia percussi (8.), a cinnitate atque elegantia plurimum commendari merentur. Suntque nonnulli ponderis haud vulgaris tam in Tyroli (9.), quam Alsatia (11. & suppl. num. xxiv.) signati. Singularis est uncialis num. 13. depictus, quemadmodum & aureus egregiæ magnitudinis (suppl. num. xxii.) omnino suspiciendus est. *Vid. plura apud KHEVENHILLER. Annal. Ferd. Isthuanff. alios.*

## NUMMI MNEMONICI ET ICONICI. I.

MATTHIAS MAXIMILIANVS.  
ARCHI. duces AVST. ria. Proto-

mae horumce Principum iugatae, <sup>Tab.XVIII</sup> in togis, cum crispis focalibus, capitibus, accisis crinibus, nudatis & sinistrorum conversis. In segmento brachii sigla artificis A A.

ALBER-